

regulares proprie non respiciat sive Sanctitas Vestra hac in parte illi derogaverit, quid dicendum, si professi vota simplicia, postquam tonsuram ordinesque minores susceperint, ab ordine dimittantur, eruntne recipiendi in clerum saecularem, ita ut habitum clericalem gestent et in susceptis ordinibus ministrent, quamvis careant titulo sustentationis?

„Ex audientia Sanctissimi habita resp. fuit ad

I. et II.: Regulares non comprehendi et etiam professos votorum simplicium (de quibus agitur) posse admitti ad primam tonsuram et ordines minores non obstante dicto motu proprio.

Ad III.: Affirmative in omnibus, nisi aliud iudicio episcopi obstet, sed curandum esse ut quam primum fieri poterit de praescripto titulo provideantur. Minime vero ad ordines sacros promoveri posse nisi praescriptum titulum habeant.

A. *Archiep. Philippen. Secretarius.*

Die 20. Jan. 1860.

S. TITUS.

Vd. S. *Timotheus.*

Prima die libera post quartam Januarii. In festo s. Titi episcopi confessoris. Duplex. Omnia de communi confessorum pontificum praeter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beatum Titum Confessorem tuum atque pontificem apostolicis virtutibus decorasti, ejus meritis et intercessione concede, ut juste et pie viventes in hoc saeculo ad coelestem patriam pervenire mereamur. Per Dominum nostrum Jesum etc.

Lectioes primi nocturni de scriptura occurrente.

In II. nocturno. Lectio IV.

Titum Cretensium Episcopum vix Pauli Apostoli verbo christianae fidei sacramentis mysteriisque excultum ea sanctitatis luce Ecclesiae tunc vagienti effulsisse compertum est, ut inter ejusdem doctoris gentium discipulos meruerit cooptari. Adscitus in partem oneris praedicationis adeo evangelizandi ardore et fidelitate Paulo extitit carus, ut ipse, cum venisset Troadem propter Evangelium Christi testatus sit, non habuisse regem spiritui suo, eo quod Titum fratrem suum ibi non invenerit. Et paulo post Macedoniam petens rursus suam in eum charitatem ita exprimit: sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi.

R. Inveni David.

Lectio V.

Quam ob rem Corinthum ab Apostolo missus ea sapientia et lenitate legationis hujus munere functus est, quae praesertim de fidelium pietate eleemosynas colligendas ad sublevandam Ecclesiae Haebraeorum inopiam spectabat, ut Corinthios non solum in Christi fide continuerit, sed etiam desiderium, fletum, aemulationem inter eos pro Paulo, qui illos primus instituit, excitaverit. Ad effundendam interim inter gentes linguas locisque distinctas divini verbi semen pluribus terra marique itineribus relectis magnaque animi firmitate pro Crucis trophaeo laboribusque exantlatis una cum duce Paulo Cretae insulam appulit. Cum porro huic Ecclesiae Episcopus ab ipso Apostolo delectus esset, dubitandum non est, quin in eo munere ita versatus sit, ut juxta ipse Pauli praeceptoris monita se ipsum praebuerit exemplum bonorum

operum in doctrina, in integritate, in gravitate.

R. Posui adjutorium.

Lectio IV.

Itaque tamquam lucerna inter eos, qui in idololatriae et mendaciorum tenebris veluti in umbra mortis sedebant, religionis jubar diffudit. Traditur eum inter Dalmatas, ut Crucis vexillum explicaret, strenue consudasse. Tandem meritorum et dierum plenus quarto supra nonagesimum anno pridie Nonas Januarii pretiosa justorum morte obdormivit in Domino et sepultus est in Ecclesia, ubi ab Apostolo Minister fuerat constitutus. Hujus nomen a Sancto Joanne Chrysostomo et a Sancto Hieronymo praecipue commendatum, Martyrologio Romano eadem die inscriptum legitur; verum pro ejus die festo cum officio et missa in catholico orbe recolendo ab utroque clero primam insequentem diem liberam Summus Pontifex Pius Nonus assignavit.

R. Iste est.

In III. nocturno Lectioes de Homilia Sancti Gregorii Papae in Evangelium: Designavit Dominus, de communi Evangelistarum cum RR. de communi Confessorum Pontificum. In Missa: Statuit; oratio et evangelium ut in officio.

Urbis et Orbis.

Suprascriptas lectiones proprias alias a Sacrorum Rituum Congregatione approbatas cum oratione in honorem Sancti Titi Episcopi Confessoris Sanctissimus Dominus noster Pius IX. Pontifex Maximus addendas indulsit Officio et Missae de communi Confessorum Pontificum de eodem sancto Episcopo Confessore, cujus festum sub ritu duplici minori recolendum mandavit hac ipsa die in universa

Ecclesia die prima, quae libera vacasset post pridie Nonas Januarii, servatis Rubricis. Quibuscumque in contrarium disponentibus minime obstantibus.

Die 18. Maii 1854.

J. Card. Antonelli.

Loco † Sigilli.

(Anal. P. 1854 p. 1048.)

TOBALEA ALTARIS.

(Materia.)

Ad dubium: an Tobaleae altarium confici possint ex tela quadam composita ex lino et gossipio subtilissimo quem vocant Mussulo? S. C. resp.: Lectum. n. 2267 die 15. Mart. 1664.

Vd.: *Paramenta* (materia, decr. n. 4563.

TONSURA.

1) Num Abbas non ab Episcopo sed ab aliis Abbatibus et PP. Generalibus benedictus possit conferre Tonsuram et ordines minores suis subditis?

Vd.: *Ordines minor.* (Abbas non bened. etc.)

2) Aetas.

Mirapicen.

„Qui tonsuram petunt induuntur publice in templo veste clericali, sub qua deinde per sex menses in seminario nostro instituti tonsura tandem donantur, si tamen decimum quintum aut decimum sextum annum attigerint. Eam enim aetatem requirimus, ut multi abusus vitentur.“

S. C. resp.: Negative.

Die 3. Julii 1677.

(Anal. J. P. 1864 p. 751.)

Requiritur in Tonsurato aetas annorum 14. ad ecclesiasticum obtinendum beneficium *ex Sacr. Concil. Trident. sess. 23. cap. 6 de reform.,*

non item ad laicalem capellaniam, in qua expresse data est facultas celebrandi per alium. Hujusce enim capellaniae capax est nedum puer tonsuratus, ut orator, sed etiam infans, *Rigant.* ad regul. 58. Cancell. num. 54 et sacra haec Congregatio in Urbeveta 11. Decembris 1784.

(Ex resol. S. C. C. diei 14. Mart. 1795 *Ravenaten.*)

3) Conferendane est baptizato sed non confirmato?

Ord. S. Basilii Magni.

Innocentius Zappia monasticam professionem emisit in ordine s. Basilii Magni nullaque praemissa disquisitione, utrum confirmationis Sacramento munitus esset, bona fide et citra contemptum dein primam tonsuram et minores ordines a proprio Abbate regulari suscepit. Sed cum jam ad vigesimum aetatis annum perventus post sedulam perquisitionem novisset se eo confirmationis Sacramento carere, dubium inde subortum est, an legitime tonsuram et ordines suscepisset; quare huic Sacrae Congregationi preces porrexit pro absolutione et dispensatione ab irregularitate, quatenus in ipsam inciderit, et pro rehabilitatione ad alios ordines. Ipse orator jurejurando testatur: „Non mi ricordo affatto che io fossi giammai cresimato come ancora, che avendo fatto diligenza dat paroco nel mio Paese, nel solito Libro de' Cresimati, mi viene avvisato, che io fra esse non mi trovavo scritto.“ Ac procurator generalis ordinis testatur de bona fide oratoris in recipiendis ordinibus unde censet ejusdem petitioni benigniter esse indulgendum.

Juxta constantem perpetuumque Ecclesiae usum et praxim ambigi nequit Confirmationis Sacramentum or-

dinum collationi praemittendum esse: cum enim Confirmationis Sacramentum a Christo Domino institutum fuerit, ut fideles S. Baptismo spiritualiter regenerati gratia perfectionis, consummationis seu augmenti spiritualis corroborerentur, ut ait s. *Ambrosius* lib. 3 de sacram. cap. 2.: Post fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur; et sae. mem. *Eugenius* in celebri decreto edito in Conc. Florentino: „Per Baptismum spiritualiter renascimur, per confirmationem augemur et roboramur in fide; maxime expedit ac convenit, ut illud jam susceptum sit ab iis, qui in sortem domini vocati ad ordines sunt promovendi, quia — ut ait *Fagnan.* in cap.: *cum contingat* de aetate et qualitate etc. n. 96., cum per sacram ordinationem tradatur ordinato spiritualis potestas, convenit, ut priusquam Laicus eam adipiscatur per sacrum oleum confirmationis roboretur, instruat ad pugnam contra invisibiles hostes.“

Hanc fuisse perpetuam Ecclesiae disciplinam recenti etiam decreto s. Concil. Trident. roboratam testatur *Juvenin.* de Sacram. dissert. 3. quaest. 9. cap. 1.: „Sacramenti Confirmationis receptionem semper et ubique tamquam rem magni momenti iis injuxit Ecclesia, qui clericali statui nomen daturi erant, idque patet primo ex *Cornelio* Papa, qui in sua Epistola ad *Fabium Antiochenum* Novatiano verit crimini, quod ordinationi Confirmationem non praemiserat secundum Ecclesiae Canonem. Patet secundo loco ex Concilio Niceno primo, quod Clericis Novatianis ea lege ecclesiasticum Ordinem concessit, ut reciperent Confirmationem, quam in sua secta neglexerant; patet tertio ex Trident. Synodo, quae legem de qua agitur sess. 23. cap. 4. de reformat. iis

verbis innovat: prima tonsura non initiatur, qui Confirmationis Sacramentum non receperint.“

In quam autem poenam incurrant ii, qui non praemissa Confirmatione Ordines suscipiunt, non una et concors est Doctorum opinio. Aliqui putant nullam poenam suspensionis incurrere, quamvis mortaliter peccent, ut ex dicto decreto Sac. Concil. Trident. deducit *Dian.* cap. 24 praxis, *Navarrus* cap. 25. num. 69., *Sayrus* de censuris lib. 7. cap. 10. num. 44. Alii censent, quod nequidem ullum veniale crimen contrahant, inter quos *Barbosa* allegat. 12. n. 14, *Conyng.* de sac. Ordin. quaest. 72. art. 8. num. 90., *Dian.* resolut. 24. de Sacram. Confirmationis, quos refert *the-caurus* de poenis ecclesiasticis par. 2. cap. 13. titulo: Ordines per saltum recepti, versic.: *Itaque*, et versic.: *limit.* secundo.

Hinc multo magis hi omnes affirmant ac tuentur nullam suspensionem neque irregularitatem hac de causa incurri et contrahi. Quae sint hujus opinionis fundamenta late exponit *Juvenin.* de Sacram. loc. supra adducto vers.: Respondit nonnulli: Licet enim tertio saeculo sic ferrent Ecclesiae leges, ut supra collegimus ex Epistola *Cornelii* Papae ad *Fabium Antiochenum*, id tamen multis ab hinc saeculis non obtinet et sane jus canonicum nec in decreto *Gratiani* neque in *Decretalibus* neque in *Bullis* posteriorum Pontificum eam, de qua illi *Scholastici*, irregularitatem statuit, nulla tamen induci debet, quam jus ipsum non statuat nec exprimat, in irregularitatibus enim adstruendis nec conjecturae a simili nec argumentum a majori ad minus locum habet haecque sententia pariter probatur in *institutionibus scholast. polemic. de sept. Eccles. Sacramentis* nuperrime editis Romae anno

1770 de Confirmatione quaest. 2. Concl. 2. in fine per verba: „Ea nihilominus omissa (confirmatione) irregulares isti non habentur ad ordines suscipiendos, quia nullo jure, nullo canone poena haec imposita legitur.“ Contra vero alii putant irregulares esse sacro Chrismate nondum inunctos ob claram expressamque prohibitionem ac inidoneitatem iis a Sacro Concilio Tridentino indictam in sess. 22. cap. 4. Imo *Fagnanus* in dicto Commentario ad cap.: Cum contingat de aetate et qualitate num. 96. testatur: „quod alias declaravit sacra Congregatio Concilii: prima Tonsura initiatum non suscepto Chrismate postea ad minores Ordines susceptos esse male promotum, beneficia minus legitime acquisivisse et non posse ad sacros ordines ascendere nisi praevia Sedis Apostolicae dispensatione.“ Verum haec declaratio s. Congregationis nullibi a *Fagnano* indicatur perscrutatisque s. Congregationis Regestris nullibi reperiri potuit.

Sacra Congregatio in una Ordinis Capuccinorum seu Anglonen. dispensationis die 15. Novembris 1710, in qua res erat de Regulari jam ad sacrum Subdiaconatus Ordinem promoti, qui valde dubius erat an inunctus revera fuisset sacro Chrismate vel ante legitimam aetatem subdiaconatum suscepisset cum idem regularis preces dedisset pro absolutione seu dispensatione super praemissis defectibus, ut ad sacrum Diaconatus Ordinem ascendere possit, proposito dub.: An et quomodo Oratoris precibus sit indulgendum in casu etc.? responsum dedit: Praevia confirmatione sub conditione pro absolutione a suspensione et dispensatione quoad irregularitatem ad cautelam.

Dignentur itaque EE VV. decernere: An et quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu?

S. C. resp.: Praevia confirmatione; in reliquis ad D. Secretarium ad mentem.

Die 8. Apr. et 6. Maji 1775.

Si EE. VV. erit dubitatio de validitate horum Baptismatum prospici poterit iis, qui ab Obstetrice Sacramenta susceperunt, ut denuo baptizentur sub conditione et secreto ad evitanda scandala, ut notat *Girald.* in exposit. juris pontif. part. 1. Decretal. tit. 42. de Baptism. Sec. 615. Quoad illos vero, qui Ordines susceperunt aperta est juris canonici dispositio, ut iterum ordinentur in cap. 1 et 3. de *Presbyteris non baptizatis*.

(Ex resol. S. C. C. die 11. Julii 1801. *Santandrien.*)

4) Defectus.

Vd.: *Ministrantes* (decr. n. 172); *Ordines minores*; *Rocchettum* (vestis etc.); *Sacerdos* (habitus); *Habitus Clericor.*; *Visit. Presbyt.* (n. 10.)

Tommaso Grant Rettore del Collegio Inglese prostrato ai piedi di Vostra Santità umilmente espone, che essendosi mosso il dubbio se la collazione della Tonsura clericale ad Edmondo Pomer Convittore de suddetto Collegio sia valida, come essendogli stati tagliati a tale oggetto i capelli non già della testa, ma della parrucca ch'egli portava.

Supplica che Vostra Santità si degni permettere, che gli si possa conferire la Tonsura di nuovo *ad cautelam et quatenus opus sit*. Che etc. SSmus, referente me subscripto S. R. C. Secretario attentis expositis super Tonsura peracta, benigne annuit pro sanatione, quatenus opus sit, a quocumque defectu, adeo ut nihil sit ulterius innovandum. n. 5054.

Die 25. Sept. 1846.

5) Deferenda in Parrucca.

Vd.: *Parrucca*.

6) Irrita est collatio ob defectum potestatis.

Collen.

(Sess. 23. cap. 10. de Reform.)

Sub assertionem, quod Vallis Ambrosiae Abbas haberet un particular privilegio di ordinare chi si fosse, ei Philippus Bianciardi dirigi obtinuit dimissoriales collensis Episcopi literas ad tonsurandum Albertum ipsius filium, qui in eo Monasterio educationis causa debebat. Post collatam tonsuram advertit Abbas suae potestatis defectum impetravitque die 24. Septembris elapsi anni 1794 per organum sacrae hujus Congregationis apostolicam absolutionem a suspensione. Patrem Sanctissimus eadem die concessit absolutionis gratiam Tonsurato, remisit in reliquis instantiam ad sacram Congregationem Concilii ad hoc ut quoad validitatem ordinationis et rehabilitationem ponatur in Folio. Se autem collensis Episcopus excusaverat, quod dimissorias concessisset ob praestitam fidem honesto viro Philippo Bianciardi de particulari Abbatis privilegio et ob bonos Tonsurati mores, ejus instantiae favebat. Gravis est quaestio de validitate tonsurae minorumque ordinum, ubi eos conferat regularis Abbas alieno subdito, ut in nostro themate. Qui ex benedictione Abbatis sacramentalem in eo admittunt potestatem, validam affirmant non subditi ordinationem, licet illicitam, ut *Fagnan.* in cap.: statuimus de supplen. negligent. Praelat. num. 17., *Fermosin.* in cap.: eum contingat part. 2. num. 9. et seq. de aetat. et qualitat., *Suar.* de relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 29. num. 21., *Tamburr.* de jur. Abbat. tom. 2. disput. 2. quaest. 8. per tot.

Qui rem vero a canonicis repetunt principiis, eam ordinationem probant nullam. Potestas sane ordinandi adnexa est soli consecrationi seu ordini episcopali secundum proprietatem ex indelebili scilicet caractere, ut idem notat *Fagnan.* loc. cit. sub num. 6., valideque propterea Episcopus alienis etiam subditis ordines confert, quum semper innata ejus potestas quoad omnes maneat, *Hallier.* de sacr. elect. et ordinat. sect. 5. cap. 1 art. 2 §. 2 de privileg. conferen. Abbat. num. 19.

Abbas regularis contra, qui non accipit ex simplici benedictione characterem ordinandi, potestatem non habet ex ordine sed ex concessione Ecclesiae seu privilegio, ac tantum potest quantum concessum, *Vagnerek.* in lib. 5 tit. 33. cap.: Abbates 3. de privileg. et excess. privilegiat. pag. 918. Eis olim tributa erat facultas conferendi tonsuram et minores ordines alienis etiam subditis cum dimissoriis eorum Ordinarii, *Benedict.* XIV. de synod. dioeces. lib. 2. cap. 11. §. 12. At restricta tandem fuit ad proprios subditos regulares ex Concil. Trident. sess. 23. c. 10 de format., ita ut denegata quoad alios censeatur. Hinc alieni subditi ordinatio, quae fit absque privilegio et ob defectum potestatis in Abbate ordinante, est nulla secundum *Pignatell.* consult. 367. sub num. 2. tom. 1. ibi: Privilegium concessum Abbatibus intra alicujus dioecesis fines existentibus conferendi primam tonsuram et ordines minores est restrictum ad suos subditos regulares tantum. Ergo si conferatur aliis, id faciunt sine privilegio ad hoc essentialiter requisito et per consequens ordinatio nulla erit.

Et *Leuren.* for. eccles. lib. 1. tit. 2. quaest. 562. §. 4., *Hallier.* loc. cit., ibi: Quum Abbatibus ad tonsuram minoresque ordines conferendos po-

testas nisi ex privilegio completa minime conveniat ad eas tantum personas, ad quas privilegium ipsum extenditur, potestatem completam habere possint, ad ceteras autem inchoatam tantum, imperfectam et insufficientem, qualis in simplici quoque presbytero reperitur: si quis ergo sibi non subditos, si quos non regulares ad tonsuram clericalem vel minores ordines promovere tentet, videtur eorum conatus irritus et nullius utilitatis atque efficaciae censendus, quippe quum ad illas personas illorum privilegium nequaquam extendatur, quo solo potestas eorum completur atque perficitur; quo dempto non magis apli sunt ordinare quam quivis Praesbyter. Neque *Hallier* ipse comparandum ait Abbatem cum Episcopo ordinante non subditos; nam quum Episcopus ordinandi potestatem habeat a caractere suo et potestate ordinis episcopalis, quae licet ut congrue in actum prorumpat limitata ac restricta sit, ut tamen effectum sortiatur nullis legibus subjicitur, nullis finibus includitur. Manet quidem character et potestas ordinis episcopalis. Abbates autem non a potestate ordinis, quae eis ad hoc agendum insita sit, non a caractere, qui ipsis impressis sit, potestatem suam completum habent, sed a privilegio eorum potestas completur. Unde sublato privilegio ejusdem conditionis sunt cum ceteris, quos certum est valde ordinare non posse. Itaque nec ipsi eo sublato ordines conferre possunt.

In hoc opinionum conflictu constans non fuit sacrae hujus Congregationis iudicium. Quandoque enim validam declaravit ordinationem clerici non subditi factam ab Abbate regulari vel titulari consuluitque dumtaxat Sanctissimo pro rehabilitatione Clerici ad exercitium ordinum, ut in Panormitana collationis ordinum 16. Martii 1647